

Jakob Born Kaspar Christian Hübsch

Exercitatio. Academica. De. Eo. Quod. Iustum. Est. Circa. Destinationem

Lipsiae: Georgius, 1680

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747430268>

Druck Freier  Zugang





V. N. 2 (80.)

1. Ma
2. Ma
3. Ma
4. Ma
5. Ma
6. Ma
7. Ma
8. Ma
9. Ma
10. Ma
11. Ma
12. Ma
13. Ma
14. Ma
15. Ma
16. Ma
17. Ma
18. Ma
19. Ma
20. Ma
21. Ma
22. Ma
23. Ma
24. Ma
25. Ma
26. Ma
27. Ma
28. Ma
29. Ma
30. Ma
31. Ma
32. Ma

1. Mascoy de jure auspicii apud Romanos.
2. Mascoy de primatibus metropolitanis et reliquis episcopis eccle.
siae germanicae.
3. Manbach de jure deceptorum.
4. Struv de opificibus.
5. Struv de brachio saeculari.
6. Struv de jure socerorum.
7. Habermann de ratificatione.
8. Frommann de jure variandi.
9. Panouy de poena adulterii ejusque indulgentia.
10. D'Autel de mutuo publico.
11. Bardili unus testis nullus testis.
12. G. Engelbrecht de dotatione virginum nobilium in Pomerania.
13. Stypmann de iniuriis seu conminationibus.
14. Mascoy de verbis generalibus.
15. P. Müller de bene merito.
16. P. Müller de nova causa.
17. Werner de poenitentia.
18. Glaeser de libero arbitrio secundum jus civile et canonicum
tam constituendo quam constituto.
19. Werner de auctionibus.
20. Roth de resignatione domini judiciali.
21. P. Müller de evitacione majoris mali.
22. P. Müller de evitacione suspicionis.
23. Dynow de vi legis in praeteritum.
24. Mehlbaum de delictis imprimis de furtis.
25. Rühle iniquitatis accusata jurisprudentia.
26. Bechmann de actorum publicorum auctoritate.
27. Schwendendorffer de ultimis suppliciis.
28. Philippi jura circa cadavera humana.
29. P. Müller de praevocacione facti.
30. Bornius de eo quod justum est circa destinationem.
31. Meylius de contractu libellario.
32. Minich de exceptioe inhabilitatis contra advocatum.

33. Röder de prohibita rerum ecclesiasticarum alienatione.
34. Matthias de denunciatione evangelica.
35. Strassf de obligatione patris familias in cuius aedibus incendium ortum.
36. P. Müller de praescriptione Saxonica.
37. Strycke de iure oblivionis.
38. Lyser de robbaria et vi bonorum raptorum.
39. Nylius de libris mercatorum.
40. Romanus de varia injuriarum coercionem.
41. Lincx de rubro nigro et albo.
42. Hahn de actionibus personatibus.
43. Brandt de legitima malefactor et fugas investigandi et convincendi ratione.
44. Ursinus de rationibus praefectarum. Quilibet.

30
39

C. B. D.
EXERCITATIO. ACADEMICA.

DE.

EO. QVOD. JUSTUM. EST.
CIRCA.

DESTINATIONEM.

QVAM.

SUB. PRÆSIDIO.

D. JACOBI. BORNII. JCTI.

SOLENNITER. PROPONIT.

AD. D. XIIII. AUGUSTI. M. DC. LXXX.

AUTOR. RESPONDENS.

CASPAR. CHRISTIANUS. *Subsch.*
BUDISSA. LUSATUS.

L I P S I Æ.

Typis JOHANNIS GEORGI.

30

DESTINATIONEM
D. JACOBUS BORNH. GILL.
CLASPA ORNAMENTALIS
ADORNAMENTA



C. B. D.

EXERCITATIO ACADEMICA
DE EO QVOD JUSTUM EST CIRCA
DESTINATIONEM.

CAPUT I.

De Destinatione in genere.

§. I.

ARduus est, quem elaborandum suscipio, juris articulus de Destinatione, involutam admodum & nullibi satis distinctè explicatam materiam continens. JOH. DEL CASTILLO *Lib. V. quotid. controversiar. cap. 62. n. 1.*

II. Sed ex re erit prius ipsum nomen penitus paulò evolvere. Destina, æ, vinculum est, quo ædificium continetur, apud M. POLL. VITRUVIUM *Lib. 5. cap. ult.* Hinc Destinare est, destinis quasi colligare, ARNOBIUS *lib. 3. Non post Theutin Ægyptium, aut post Atlantem ut quidem ferunt, gestatorem, bajulum, tibicinem illum ac destinam cæli.* CORIPPUS *lib. 1. de Laudibus Justiniani v. 17.*

Et Thomas Lybica nutantis destina terra.

Adeoqve qui aliquid secum statuunt & faciendum proponunt, se alligant quodammodo ad id atqve affigunt; idcirco destinare, pro constituere, designare, deligere &c. dici est cœptum. JUVEN. *Satyr. 10. vers. 330.*

--- --- Cui nubere Cesaris Uxor

Destinat.

Sic COR. NEP. *in Eumene: Primus Leonnatus Macedoniam preoccupare destinaverat;* VELLEJUS PATERCULUS *Destinare successores, destinare iter, destinare aliquid publicis usibus &c. dixit.* Destinatio pro consiliò, propositò, &c. legitur apud TACITUM *lib. 2. histor. cap. 47. Præcipuum de-*

A 2

sti

destinationis meae documentum habere, quod de nemine quæror. Porro destinare pro emere non semel est usus PLAUTUS *Mosell. Act. 4. Sc. 2. & Pers. Act. 4. Sc. 4.* e. qvæ Synonymum fecit præstinare *Epidic. Act. 2. Sc. 2.* ubi curiosè VALENS ACEDALIUS de hoc verbò, tamen expedire se non potest, quin cogatur tandem fateri, utrumqve & destinare & præstinare esse, quod Festus & Nonius censuere, nimirum emere & emendo tenere, in specie præemptione istà, quæ pars precii arrabonis quasi locò datur, cæterum autem in diem differtur, wenn etwas gewisses zum Angelde gegeben/ die übrige Rauff Summa aber auf Tagezeiten bezahlet wird. Prædestinare verbum Theologorum est, versehen/ unde Prædestination, Vernehmung.

III. Destinare etiam Jcti dicunt pro aggregare, unire, incorporare, usui certo dedicare, atqve idem ille significatus in præsentia hæc scriptio- ne frequens mihi, & tantum non proprius erit.

IV. Definitio autem, aut si mavis, describo Destinationem, quod sit actus, quò liberò & deliberatò animò, aut facere aliquid statuitur, aut res certo usui dedicatur, aut cum alià separatà & distinctà ita jungitur, ut eum eadem consolidetur & uniat.

V. Dividitur in Destinationem Legis & Hominis: Illa à solà Lege fit immediatè; Hæc ab homine. Et iterum gemina est: vel Mentalis, vel Realis; Mentalis, quæ solò animi decretò perficitur; Realis, cui ultra animi conclusum, factum aliquid accedit.

VI. Causa Efficiens est, vel Jus immediatè, vel Homo. Juris nomine venit hic mihi & Lex universalis scripta, & consuetudo, & statutum. His omnibus destinari quid dicitur, quando aut prædio, aut rei cuicunque, aut personæ, aut officio, certæ pertinentiæ juraqve & privilegia certa ex solà juris provisione assignantur & deputantur, HERONYMUS DE MONTE *de fin. regundis cap. 80. n. 7.* MEISNERUS *Tom. 2. lib. 2. Decis. 3. n. 11.* Ita Ecclesiis varia destinata sunt. *cap. 1. extra. de censibus. e. cum conringit x. de decimis.* Sic Imperialis Majestas ex lege Imperii jura sua habet, habent Electoratus, habent Ducatus, habent Episcopatus, habent Territoria, habent Ordines, seu Status Imperii & Provinciales. Similiter pertinent huc, quæ ex peculiaribus privilegiis destinata sunt Doctoribus, Studiosis, Militibus, aliis.

VII. Homo destinatur, quando aut in rebus propriis aliquid hoc vel istò modò, prout visum fuerit, disponit; ex Destinatione enim Patrisfamilias, sive Domini, uti ille vult, unum alteri accedere, sic pertinentiæ sunt.

TIKAOVELLUS *de Retract. §. 36. gloss. 3. n. 4. c. cum ad sedem. x. de resti-
tut. Spoliatorum.* Aut rei alienæ de suo aliquid tribuit aut confert, & qui-
dem utrumque vi ac potestate optimi maximi illius, in suo cuique, nisi in
quantum jure prohibetur, competentis arbitrii, *l. 21. C. Mandat.* Id quod pos-
simum fundamentum est omnis humanæ destinationis.

VIII. Destinare possunt omnes illi, qui aut Naturâ, aut Lege non
prohibentur: Naturâ prohibentur, qui omnino velle non possunt, quales
sunt, Infans, furiosus, mente captus, ebrius, dormiens; Lege prohibentur,
qui aut sui juris non sunt, nam & hi velle non posse creduntur, *l. 4. ff. de reg.
jur.* aut administrationem liberam rerum suarum non habent, quales sunt
prodigi, quibus bonis interdictum est; item, impuberes, minores, licet circa
hos in delictis exceptio sit.

IX. Objectum Destinationis sunt & Personæ, & Res, & Facta: Resque
iterum tam Corporales, quam Incorporales, adeoque Mobilia æque atque
Immobilia, Jura & Actiones.

X. Forma Destinationis Legalis consistit in iustione publicâ, quæ
alicui vel rei, vel ordini, vel personæ quippiam assignatur.

XI. Forma Destinationis Humanæ perficitur illò ipsò actû, quò, se-
cundum definitionem supra traditam, liberò & deliberatò animò, aut fa-
cere aliquid statuimus, aut rem certo usui dedicamus, aut cum aliâ diversâ
ita jungimus, ut una cum eadem fiat. Et quidem ad formalitatem Desti-
nationis Mentalis sufficit mentis & animi decretum; Ad Realem verò fa-
ctum externum accedere oportet, absque quò destinatio pro completâ &
perfectâ non habetur. Nequaquam tamen hoc præcisè desideratur, ut aut
res rei aut prædii destinata eidem affigatur aut combinetur, per *l. 13. §. fin.
& l. 14. l. 17. §. 8. ff. de act. empt.* ubi disertè asseritur, multa ædium esse, quæ
ædibus affixa non sunt: Nec exigitur, ut prædium prædii destinandum con-
tiguum cum eò sit, sed utraq; ratione situationis possunt esse, & manere se-
parata, *l. Seja 20. §. Tyrannia 7. ff. de instruct. vel Instrum. leg.* BALDUS
ad l. 9. C. de Legibus.

XII. Cum de factò ipsò Destinationis probandò quaeritur, Probatio
fumenda est, vel ex destinantis Confessione: vel ex Usu ipsius, aut aliâ, ipsò
factò contingente animi, declaratione.

XIII. De Confessione constat vel ex Instrumentis, vel Depositione
testium, MASC. *de probat. concl. 393. & 394.* MONTANUS *de fin. regul. d.
cap. 49. & seq.* Ad Instrumenta referuntur scripturæ in lapide aut columnâ
expressæ, GAIL. *lib. 2. Obs. 62. n. 11.*

XIV.

XIV. Usu Patrisfamilias prædia potissimum dijudicantur & distinguuntur, ita quidem, ut potentior sit primâ intentione quam habuit cum fundum emeret, & ex isto, non hæc, æstimari debeant. arg. *Leg. 24. §. 2. ff. d. Leg. 1. l. 86. §. 1. ff. de Leg. 2. l. 31. ff. eod. l. Damnas §. 1. ff. de usufr. legat.* STEPH. GRATIANUS in *Discept. forens. cap. 126.* SIMON DE PRÆTIS de *Interpret. ult. volunt. l. 4. dubitat. 7. n. 39.* GAIL. *l. 2. obs. 62. n. 4.* Quod si diversus usus fuerit, ultimus prævalet, GRATIANUS *d. l. n. 6. §. 8.* SURDUS *lib. 2. Const. 145. n. 15.* Usus autem hujusmodi, ex quo Destinatio colligitur, varius esse potest, veluti si operis & servitiis rusticorum certi cujusdam pagi in castro diu usus fuerit Dominus, wenn der Herr die Unterthanen dahin lange Zeit hat dienen und fröhnen lassen / tunc pagus iste pro pertinentiâ castri habetur, GAIL. *Lib. 2. obs. 62. n. 5.* VOT. CAMERAL. *Tom. 7. Symphor. p. 1. tit. 1. Vol. 6. n. 20.* MEVIUS *part. 5. Decis. 276.* Sic hortus juxta ædes situs destinari iisdem videtur, si per eam aditus fiat ad ipsam domum, arg. *Leg. 47. ff. de Damn. infect.* GAIL. *Lib. 1. de præc. publ. c. 6. n. 27.* Si hortus contiguus ædium causâ paratus fuerit, ut ameniorem domum possideret Dominus, *l. 91. §. penult. §. seq. ff. de Leg. 3.* BÉRLICH. *p. 2. decis. 191. n. 44. §. seqq.* Pariter domuncula, quam vulgò ein Miethhaus vocant, destinata creditur ædibus majoribus, si juxta eas sita unò præcio ematur, & ex his in illam aditus paretur, MENOCH. *lib. 4. præfunt. 129. n. 9.*

XV. Ex eò solò, quod duo prædia unâ emtione unòque confusè constitutò præcio comparata fuerint, Destinatio non probatur, *L. 91. §. 3. ff. de legat. 3.* Præsumitur tamen si conjecturæ aliæ simul concurrant, puta, si eadem unò nomine, cum olim diversa haberent, possessor compellasset, reditus item utrorumque confusè rationibus suis acceptos ferre consuevisset, *d. l. 91. §. 3. ff. de legat. 3.* SURDUS *decis. 241. n. 10. §. seq.* Ex quo inferunt Doctores in quæstione voluntatis non sufficere unum argumentum aut conjecturam unam, sed exigere plures. Jung. *Leg. 52. §. 4. ff. de leg. 3.* JACOBUS CUIJAC. *in recitat. ad lib. 7. Responsor. Papiniani ad d. l. 91. §. 3.*

XVI. Similiter Dominus territorialis in locò quodam certò, puta castro, exercens jurisdictionem, ob id non statim illam eidem destinasse censendus est, atque adeò datò in feudum hujusmodi castro sine jurisdictionis mentione, hæc simul non transit, SCHRADER. *de Feudis part. 3. cap. 4. n. 21.* PARIS. *Conf. 20. n. 54.* Minus multò satis est plura prædia simul

separatim habere atque usurpare, *Leg. 38. §. sim. ff. de act. empt. l. 49. ff. de contrab. empr.*

XVII. Actus autem ex quibus præsumenda Destinatio est, liberos & conjunctionem deliberato animo factam esse oportet, non ex coactâ necessitate; cuiusmodi est, si, ut satisfaceret creditori, cum certò quodam castrò prædioqve agri, prata & id genus alia in solutum dentur. Nam exinde quæ ita simul data fuerunt, pertinentiis reputari haut debent, nec ob id Destinatio venditanda, *JOH. DEL CASTILLO lib. 5. quotidian. controvers. c. 62. n. 54.*

XVIII. Ad Destinationem quâ res allodialis feudali jungitur, ad hunc effectum ut illa qualitatem feudalem recipiat, non satis est, neque possessoris destinatio & incorporatio, neque eorum quorum interest consensus aut conventio, neque Domini feudi nuda approbatio, sed requiritur, ut dominium directum ei, qui feudi Dominus est, offeratur, & ab eo vicissim in feudum detur, *cap. sciendum est, l. Feudor. quibus modis feud. consit.* CHRISTOPH. ZOBEL. *Part. 2. Diff. 46. num. 1.* ANDR. DE ISERNIA *tit. de controversiis feud. CARPZOV. P. 3. Const. 30. def. 11. 12.* MATTH. COLERUS *P. 1. decis. 219.* HARTMAN. PIST. *P. 2. quæst. 42. n. 45.* Hinc cum Anno superiori 1663. Mens. Febr. Amplissimi Scabini Lipsienses consulerentur, An summa certa pecuniæ, super quâ consensu Domini Feudi inter partes ita erat conventum, daß insonderheit die angedeutete 2200. fl. vor allen Bedingen und Gerichten als Lehn gehalten / erkennen / also verfallt und verstatmet werden solten / re. feudalis esset? pro negativa responderunt Heinricho Andrea von Hanffstengel. Responsi verba ita se habent: Als ihr uns Copien eines Kauff Contracts und Vergleichs mit A. und B. bemercket / benebensst zweyen Fragen zugeschicket / und Euch re. Demnach sprechen wir re. Hat euer Vater Thieme von Hanffstengel sein Rittergut Nieder-Kirgkstädt Anno 1614. seinem Vetter Bernhardten von Hanffstengel umb ein gewisses käufflichen überlassen / darben aber verglichen / daß Käuffern etwas von Kauffgeldern / so nachgehends auff vorgehende Abrechnung Anno 1632. auff 2200. fl. gesetzt worden / auff gewisse Zeit umb Verzinsung gestundet / und der Hanffstengelischen Witwen ihre Leibrenten davon bezahlet werden solten. Als nun dieses sich geendiget und bemelte 2200. fl. aufgekündigt und die Zahlung gefodert / wollen solche Gelder vor ein Lehn / dessen Capital nicht abzustatten / ausgegeben werden. Ob nun wohl unter andern in bemelten

ten Contract ausdrücklichen abgehandelt/das bedeutete 2100 fl. hin
wiederum an Lehn verwendet/auch ehe und bevor solches geschehen/vor
ein recht Mann Lehn gehalten werden sollen/welches auch in dem Mer-
seburgischen Consensu de anno 1632. also mit ausdrücklichen Worten
gemeldet/und die Confirmation darauß eingerichtet worden. Dieweil
aber dennoch nur bedeutetes Geld anfangs ein bloßes gestundetes Kauff-
geld gewesen/und nicht zubefinden/das das Directum Dominium daran
dem Lehnherren zugeeignet un solches von ihm in Lehn gebührend empfan-
gen worden/welches doch zu verwandlung des Kauffgeldes in Lehn zu
Recht erfordert wird/und also selbiges Geld würcklichen zu Lehn nicht ge-
macht/nach mehrern Inhaltz. So ist solches vor Erbe zu halten/ und
mag vor keinen Lehnsiam beständiger Weise ausgegeben werden. V.
R. W. Sequitur ex his quæ dicta sunt, ea, quæ ritè non destinata feudo, li-
cet in commodum illius usurpata, & ut melius eodem frueretur possessor,
comparata ad successores non feudales sed allodiales pertinere. KNIP-
SCHILD. de obligat. dom. erga Vasal. quest. 6. n. 13. ubi de Jurisdictione agit.

XIX. Peculiaris quoque forma erat olim Destinationis, quando Do-
manio Principis aliquid destinabatur aut incorporabatur. Et quidem tem-
pore Justiniani ita procedendum erat: Si Fisco res deferebatur, primò so-
lenniter debebat inquiri per Procuratorem Cæsaris secundum formam /
defensionis facultas C. de Jure fisci. Hæc examinatione & inquisitione factâ
Rationalis & Procurator Fisci accipiebat ea bona & super illis inventarium
conscribebat, sigillatimque omnia aliis rebus fiscalibus incorporabat, l. quis
posthac C. de bon. prescript. postea tituli affigebantur publici à soldo Fisco
personis publicis presentibus, jung. l. 3. C. de bon. vacant. & l. 3. C. Theodof.
de bon. prescript. Ubi JACOBUS GODOFREDUS. Hodiè in Imperiò li-
berò aut Ducatu etiam, ubi Statuum jura aliud non expostulant, hujusmodi
incorporatio vel expressè fit, vel tacitè; Expressè, quando Princeps bona ad
fiscum delata seu caduca in registrum rerum dominialium referri curat, hoc
fine, ut ad onera regni ferenda inserviant. Tacitè verò, quando Princeps
talia bona non largitur aliis, sed per suos Officiales administrari curat. Nam
cum Princeps ea, quæ ex causâ caducitatis ad Fiscum devolvuntur, vel sibi
retinere possit, vel aliis largiri, nisi contrariâ lege prohibeatur, utique eò iplò
dum sibi retinet domanii partem facere videtur. JOH. NEVIZAN. Const.

12. n. 48.

XX. Ex iis autem quæ hætenus disserui satis liquet, actum Destina-
tionis

tionis per se perfectum quid esse & omnino consummatum, ita ut frustra sine
Interpretes qui operose controversant, An Destinatio pro re perfecta sive
facta, an pro imperfecta censi debeat? Etenim male illi confundunt non
modo effectum destinationis mentalis & realis, sed & actum destinationis
cum actu & negotio illò, quod in destinatione intenditur. Verum omnino
est, omnem destinationem, sive Mentalis sit, sive Realis, actum aliquem esse
perfectum, sed disparem utriusque effectum, nec Destinatio statim est illud
ipsum, quod destinator sibi habet propositum. Sic e. g. Si summam certam
pecuniæ emendis prædiis destinaveris, omnino, prout infra latius dicitur,
pecunia ista non est prædium, nec Destinatio emtio venditio, sed nihilomi-
nis actus perfectus hic adest, cum formalitas Destinationis Mentalis con-
sistat in decretò animi, quò statuimus pecuniã prædium emere, & fatendum
utique æquè illum, qui prædium emere sibi proponit, & ad hoc certam
pecuniæ summam deputat, actum destinationis exercere, quàm qui præ-
dium prædio destinat & destinandò consolidat.

XXI. Atque hæc de probatione Destinationis in genere, in specie
circa modum observandum, illam prout actio instituta vel ordinaria est, vel
summaria, Ordinariam exigi aut Summariam, ut puta, si in Judiciò possessio-
riò venieris, ex naturâ ejusdem sufficit summariter probationes fieri nec or-
dinariæ exiguntur. GAIL. L. 2. O. 63.

XXII. Finis Destinationis varius esse potest, nimirum, ut vel præ-
diò commodis utamur, vel aliâ ratione rebus nostris consulamus, vel
publico etiam aut Deo officium præstemus.

XXIII. Effectus alius est Destinationis Mentalis, alius Realis. Effec-
tus Mentalis Destinationis, nisi factum aliud accedat, parum notabiles
sunt, præterquam in Votò.

XXIV. Effectus Destinationis Realis in genere ille est, quod desti-
nata induant naturam rei principalis & exinde quasi pars ejusdem censean-
tur L. 2. & ibid. Dd. C. de bon. vacant. assumantque omnes qualitates ejus-
dem, L. inter S. cum inter ff. de pact. dot. l. si constantem C. de donat. ante
nupt. & ibi BALD. TIRAQUEL. in L. Si unquam. C. de Revoc. donat. n. 226.
Hinc provincia alii provinciæ destinata aut incorporata, accessorie sc., nisi
aliud conventum fuerit cum Statibus, ejusdem legibus & juribus subji-
citur, JOH. GUTTIEREZ. L. 3. q. 17. n. 219. ANGEL. conf. 242. ALEX. conf.
114. n. 20. vol. 4. GVID. PAP. Dec. 265. OROSIUS in L. nam & Demosthenes
n. 9. ff. de LL. Effectus Speciales capitibus sequentibus, & quidem ductum

B

Justi-

Justiniani Imperatoris secutus, secundum tria objecta juris spectandos dabō.
XXV. Contraria sunt Mutatio Voluntatis, eaq̄ve tam Tacita, q̄vā m̄
Expressa. Tacita, q̄vando actu contrariō receditur ab eō quod primū
placuit, GRATIAN. *Disc. for. Tom. 1. c. 126. n. 6.* Ita enim mutare potest con-
siliū, q̄vi destinavit, & vel aliis usibus quid dicare, vel ut ratione aliā ei-
dem rei inserviat ordinare, estq̄ve hic observandum, quod postrema subin-
de destinatio attendatur, RUINUS *lib. 2. Conf. 71. n. 12.* SURD. *Conf. 195. n. 1.*
& *seqq.* Sed actum tamen hunc contrarium hujusmodi esse oportet, ut ex-
inde separationem aut propositum diversum necessariō colligere queas,
aliās enim potius Destinatio semel facta sustineri debet. Sic si agrum agro
destinem atq̄ve ita cum eodem uniam, postmodum autem fiat divisio cul-
turae causā, non vera est divisio, nec destinationis antea factae sublatio, *L. 86.*
S. 1. ff. de Leg. 2. ibiq̄, Gloss. & CUJACIUS. Multo magis destinatio sub-
sistit, licet res destinata amoveatur, eā tamen intentione ut reponatur, *l. cum*
fundus S. peculiari. ff. de fund. instruct. l. fundi. S. item constat. ff. de act.
emt. BECK. *de Testam. Conjug. cap. ult. n. 3.* KNIPSCHILD. *de fideicom-*
miss. famil. c. 5. n. 53.

XXVI. Expressē voluntas mutatur, si disertē revocet q̄vi destinavit
destinationem factam. Sed utrōq̄ve modō mutatio isthac non procedit,
remq̄ve in pristinum Statum non reponit, nisi tertio jus non fuerit quæsi-
tum aut destinatio ipsa in delictum non incidat, aut naturā etiam negotii
tale quid patiatur.

CAPUT II.

De Eo quod Justum est in Destinatione circa Personas.

§. I.

Præmissis ita quæ in Genere de Destinatione dicenda erant, de eadem
in Specie acturus sum; & primō quidem de eō quod justum est in De-
stinatione circa Personas.

II. Personam Jctus considerat quatenus de Statu ipsius quæritur.
Status iste est conditio, secundum quam alicui jus redditur in Republicā,
l. t. ff. de Stat. hom. Estq̄ve iterum vel Libertatis, vel Civitatis, vel Fa-
milie.

III. Ex

III. Ex Statu Libertatis homo, vel liber est, vel servus. Circa ser-
vos quis destinationis effectus sit, in compendium quasi redegit POMPO-
NIUS Jctus, in L. 166. ff. de V. S. ibi: Urbana familia & rustica non locò sed
genere distinguitur. Potest enim aliquis dispensator non esse servorum ur-
banorum numerò, veluti is qui rusticarum rerum rationes dispenset, ibiq;
habetet, non multum abest à Villico. Insularius autem urbanorum numerò
est. Videndum tamen est, ipse dominus quorum loco qucmq; habuerit; quod
ex numerò familia & vicariis apparebit.

IV. Per Familiam hic & in L. 9. ff. de juris dict. l. 2. §. 19. ff. de vi bon.
rapor. intelligitur corpus quoddam, vel quidam grex servorum, L. 195. §. 3.
ff. de V. S. l. 43. ff. eod. & dividitur ea in Urbanam & Rusticam, quæ utraqve
non locò distinguitur, sed genere, usu, sine & qualitate servitii, d. l. 166. in
pr. Servum urbanum non facit locus, sed usus, opus & qualitas ministerii,
ad quod quisque à Domino destinatus est, L. 99. in pr. ff. de Legat. 3. ita ut
Servi urbani sint, qui usui & ministerio urbano deserviunt, licet extra Ur-
bem in prædiis rusticis morentur, d. l. 99. in pr. ff. de Legat. 3. Veluti dispen-
sator qui rusticarum rerum rationes tractat, ubicunque habitet, non mul-
tum distat à Villicò, i. e. mancipiò rusticò, quod rationibus rusticis univer-
soqve operi rurestri est præpositum, L. 18. §. 4. ff. de instr. vel instrum. le-
gat. l. 16. ff. de instr. vel instr. d. l. 166. de V. S. vers. veluti. ubi pro ibiq; videtur
legendum ubiq; i. e. ubicunque. JAC. CUJACIUS ad d. l. 166. & in Notis
ad tit. Instir. de jur. person. Licet, quod obiter addo, Poëta Villici nomen
transferre soleant ad Præfectos quoslibet, ut JUVENALIS Satyr. IV. ad
Præfectum Urbi scribens, de Pegaso Jcto:

Pegasus attonita positus modò Villicus urbi.

Insularius est urbanorum servorum numerò, d. l. 166. quia est custos insulæ.
L. ult. ff. de Offic. Præfect. Vigil. l. 16. §. 1. ff. de usu & habitat. Insulæ au-
tem sunt domus ab aliis separata, quæ ambitù propriò constant; ita enim
domus Romæ vocatas fuisse, maximè post incendium Neronis, ex TACI-
TO constat, qui Lib. 15. annal. cap. 43. edixisse Neronem, refert, ut deinceps
non domus, sed Insulæ extruerentur, nec communione parietum, sed pro-
priis quæque muris ambirentur.

V. Sin autem dubium sit, quibus prædiis quisque Servus destinatus
fuerit? Spectandum quò locò Dominus quemque servorum habuerit, quod
ex numerò familia & vicariis apparere dicit POMPONIUS in d. l. 166. Per
numerum familia, & matricula familia & rationes Patrisfamilias indigi-

antur, d. l. 99. ff. de Legat. 3. Pro vicariis legendum cibariis, i. e. diariis & demensis. Cibaria sunt victus genus, d. l. 99. HORAT. lib. 1. Epistol. 14. v. 40

Cum servis urbana diaria rodere mavis:

Horum tu in numerum voto'ruis. Vid. JAC. CUJAC. in Not. ad S. 1. Instit. de Servit. præd. urb. & rust. & in exposit. Nov. 6.

VI. Quæ in præcedentibus de Destinatione Servorum Romanorum dicta sunt, usu fori commodè applicantur ad homines proprios & adscriptitios, seu glebæ addictos.

VII. Ex statu Familie dividuntur homines in Sui & Alieni Juris. Alieni juris sunt vel in potestate Parentum vel Dominorum; in Potestate Parentum sunt liberi potissimum ex justis nuptiis procreati, L. 3. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt. Circa Nuptias & Matrimonium & frequens usus vocis Destinationis & ejusdem effectus sunt notabiles.

VIII. Puella, Virgo, Uxor passim destinata legitur. Sic PLAUT. in Rudent. Prolog.

Minis triginta sibi, Puellam destinat.

Et in Perf.

Non properas hanc virginem destinare.

APULEJ. 4. asin. aur. Pacto jugali destinatus, consensu parentum tabulis etiam maritus nuncupatus ad nuptias &c. SVET. in Cæs. 27. Ad retinendam autem Pompeji necessitudinem ac voluntatem, Octavianam, sororis suæ neptem quæ C. Marcello nupta erat, conditione (rectius cum BERNEGGERO conditionem) ei detulit, sibiq. filiam ejus in matrimonium perit, Fausto Sulla destinatam MINUTIUS in Octavio derapt. Sabinor. Alienas virgines jam desponsatas, jam destinatas & nonnullas de matrimonio rapuit. PAPINIANUS in L. 101. ff. de condit. & dem. Pater Severianam Proculam Ælio Philippo cognato nuptiis testamento designavit &c. PAULUS in L. 36. ff. de Rit. Nupt. Tutor vel Curator adultam uxorem ducere non potest, nisi à Patre desponsata destinatave &c. Idem in L. 66. ff. eod. Non est matrimonium, si Tutor vel Curator pupillam suam intra vicesimum & tertium annum non desponsam à Patre, nec testamento destinatam uxorem ducat. Quibus ex locis patet tò Destinare in causa matrimoniali aliquando propriam desponsatione, aliquando verò pro nuda designatione sumi. Huc potissimum posterior significatus pertinet, quando nimirum aliqua aut Parentis, aut alterius etiam, aut propriò consiliò in matrimonium determinatur, vid. ALBERIC. GENTIL. Tr. de nupt. L. 2. n. 21.

IX. Ef-

IX. Effectus hujus Destinationis multus & varius est. Senatus
Consulto, quod Autore D. Marco factum, cautum est, ne Tutor vel Cura-
tor pupillam vel adultam sibi aut filie in Matrimonium collocet, antequam
ei administrationis suae reddiderit rationem, famae alioquin & existima-
tionis iacturam passurus; ex ratione nimirum ista, ne qui bona pupilla
dilapidasset hoc modo rationum onus declinaret, *L. 36. l. 66. ff. de Ritu
Nupti. l. 7. ff. ad L. jul. de adulter.* Quod nomine Cicero, Vir alioquin gra-
vis, male audiit; etenim cum multo aere alieno esset obstrictus, post repu-
diatam Terentiam duxit pupillam, cujus res & negotia ante tutoris titu-
lo gesserat. Atque haec prohibitio postea eo usque extensa, ut redditus
quantumvis rationibus matrimonium justum non sit, nisi & tempora resti-
tutionis in integrum transferint, *L. 6. C. de interd. matrim. inter Pupill. &
Tutor.* ita, ut jure Justiniano hodie non possit quis eam cujus Tutor vel
Curator fuit intra annum nonum & vicesimum uxorem ducere *d. l. 6. l. ult.
C. de temp. in integrum restit.* Cum olim non nisi intra vicesimum & sex-
tum annum haec prohibitio consisteret *d. l. 36. l. 66. ff. de R. N.* Enimvero
cessat haec sanctio si destinata pupilla a parente fuerit in matrimonium
tutoris filive illius, *d. l. 36. & l. 66.* Licet usu moribusque hodiernis in
Galliâ, Belgiô ac universa serè Germaniâ hujusmodi matrimonium sit per-
missum. PHILIBERT. BUG. *Tr. de Leg. abrog. L. 1. Sat. 25.* GUDELIN.
de jure noviss. c. 9. in fin. SICHARD. *ad tit. Cod. de interd. matrim. inter
pupill. & Tutor.* WURMS. *in Obs. Pract.* MONTAN. *de tutel. c. 31. in fin.*
CARPZ. *p. 4. C. 20.* GROENEW. *de LL. abrogat. ad dict. tit. Cod.* BUS. *in
l. 15. ff. de sponsal.* RITTERSHUS. *de differt. jur. Civ. & Canon. l. 1. c. 20.*

X. Pater puellam a filio in matrimonium destinatam atque inde pro-
sponsa habitam, mortuo isto, nisi prius impetrata dispensatione, ducere non
potest, licet sponsalia publica nulla intercesserint, nec parens huic destina-
tioni expressè consenserit, cum in nuptiis semper pudoris & reverentiae
ratio habenda, *l. 14. §. 2. ff. de ritu Nupt. §. 9. Instit. eod.* quam in senten-
tiam Domini Scabini Lipsiensis responderunt M. Febr. Anno 1658. an Da-
vid Breithaupten zu Eisenach. Verba Responsi haec sunt:

Hat des Sempronii Sohn / Titius, ein Studiosus, zur Zeit/ do er
sich auff unterschiedenen Universitäten auffgehalten / zu des Pom-
ponii Tochter/ die Mæviam, eine sonderbahre ehrliebende affection
getragen/ welche sie auch beyderseits mit überschiefung Sträuser/
Kran-

Kranke/Briefen und andern Verehrungen / wie zwischen jungen liebhabenden Personen zugesehehen pflaget / unterhalten und gepflogen. Als nun Titius von N. wieder nach Hause gelanget / und sich bey Sempronii Bruder zu N. auffgehalten / in Hoffnung ihm etwan einige Dienstbeförderung zu sehen möchte / da er denn die Mæviam mit beyderseits Eltern Consens und Bewilligung zu heyrathen entschlossen gewesen / iedoch gleichwohl von solchem seinem Vorhaben gegen dem Sempronio in geringsten nichts jemahls gedacht; wird er zu berichten N. krank und begiebet sich darauff nach Hause / allda er in wenig Wochen nach Gottes Willen Todes verfahren / worüber die Mævia dermassen betrübet worden / daß sie sich auch nicht trösten lassen wollen; über welcher Liebe sich Sempronius verwundert / Sie nicht alleine als eine Tochter tituliret / Sie und ihre Eltern mit gewöhnlichen Trauer-Zeichen versehen und der Zeit her ihnen alle Liebe und Freundschaft bey allen Zusammenkunfften / Gastmahlen und sonst erwiesen; sondern auch nach dem des Sempronii Eheweib über 2. Jahr hernach gleicher Gestalt nach Gottes Willen Todes verfahren / Er sie und ihre Eltern abermahl mit Trauer-Zeichen / gleich andern Anverwandten von neuen versehen lassen. Und trägt sichs nun zu / daß gedachter Sempronius selbst auff die Mæviam umb ihres eingezogenen / Gottseligen und Christlichen Lebens und Wandels willen / ein Auge geworffen / und sich mit derselben in die andere Ehe zu begeben vorhabens. Ob nun wol zwischen Titio und der Mævia keine öffentliche Verlöbniß / weniger Copula carnalis vorgegangen und also in göttl. Rechten kein ausdrücklich Gebot der Ehe halben zwischen Sempronio und der Mævia vorhanden. Dieweil aber dennoch allen Ansehen nach / in Erwägung der obigen angeführten nachdencklichen Umstände eine Ehegelöbniß zwischen Titio und der Mævia geschehen welche hernach der Vater Sempronius zum wenigsten nach des Titii

Tod



Tod beliebet/in dem er Mœviam seine Tochter nicht alleine genennet/sondern auch hernach continüirlich als eine nahe Anverwandte bey Austrichtung der Leichenbestattung und andern Begebenheiten öffentlich tractiret und gehalten/nach mehrern Inhalt eurer Frage. So wil Sempronio zu Erhaltung Zucht und Erbarkeit/ auch Vergerniß umb so viel mehr zu verhüten/bey der hohen Obrigkeit dispensation gebührend zu suchen allerdings obliegen/inmassen denn dieselbe in gegenwärtigen Fall zu dispensiren. wohl besugte. V. R. W.

XI. Qvod si legatum alicui fuerit relictum sub conditione, ut Semproniam aut Semproniam in matrimonium ducat, atque sic legatum simul uxorem destinet, conditio præcisè adimplenda est, dummodò quæ destinata est virgo aut vidua honesta sit, l. 63. §. 1. in fin. ff. de condit. & demonstr. Nam si indignam ducere Testator iusserit, Legatarius ad id cogendus non est, d. l. 63. §. 1. Atque hinc quæstio mota est, Si quis heres instituitur sub conditione, ut Annam ducat, aut si ea ante sponsalia moriatur, Barbaram sororem ipsius, & mortuo testatore, Anna se impudicè gerat, an heres cogi possit Barbaram maximè conjugium requirentem ducere? Qua de re vid. JOH. BECHSTAD. Tr. de condit. Sponsal. part. 2. cap. 3. n. 18. DOM. ARUMÆUM lib. 1. Decif. 8.

XII. Matrimonio accedit Dos, circa quam observandum, quod res destinatae ad dotem idem habeant iudicium quod dos ipsa, SIM. DE PRÆTIS de interpret. ult. volunt. l. 4. Interpret. 1. n. 59.

XIII. Personæ Sui juris vel plenâ & integrâ libertate fruuntur, vel ob ætatis iudicij; defectum, propter quem rebus suis superesse non possunt, in aliorum tutelâ vel curâ sunt.

XIV. Tutores Curatoresque destinantur pupillis & minoribus & Lex & Homo in testamentò Licet autem jure Justiniano pariter legitimi tutores ac testamento ritè dati, tutores plenè constituentur, & sine ulteriori præcedente factò iudicis administrationem suscipere possint, hodiè tamen secundum Recessum Imperii de Anno 1577. tit. 32. necessarium insuper est decretum Magistratus, ibi: Es soll kein Vormünder/er sey gleich Testaments waise/oder von Recht und Richter gegeben/der Vormundschaft sich unterziehen/wo ferne ihm selbige von der Obrigkeit nicht befohlen; ita & quæ ante hoc decretum geruntur, ipso jure nulla sint. Conf. ARG. V. 2. Conf. 9. n. 8. MEV. ad jus Lub. lib. 1. Tit. 7. art. 2. 7. n. 7. J. MYNS. Cent. 2. Obf. 37.

XV. Circa

XV. Circa Jus Civitatis etiam non deest in quo effectus destinationis ostendi possit. Unum tamen hâc vice allegasse sufficiat; Scilicet, si loca quædam certa civitati destinentur pro ampliandô Weichbildô, de ipsô jure civitatis eadem ipsa quodammodô participant, licet integrum non obtineant; Quorsum & pertinent suburbia, hinc & horum inhabitatores certo modo, non tamen integrè, commodis & privilegiis civium utuntur, ita quidem, ut licet inter numerum civium cooptentur & homagium præstent, non tamen omnimodo pro civibus reputentur. Hinc regulariter jus braxandi, hospitia publica habendi & quæ hujusmodi alia sunt, ad illos non pertinent, licet quodammodô digniores sint Falburgensibus in specie sic dictis. Scriptoribus tamen Gallis Falburgerus aut Falburgensis, & Suburbicanus Synonyma sunt, DN. JOH. SCHILTERUS *Exercit. Theorica Practica ad ff. Exerc. 3. tb. 8.* CARPZ. DECIS. II.

CAPUT III.

De eo quod justum est in Destinatione circa Res,

§. I.

HUc usque de effectibus Destinationis circa personas, ratio nunc postulat, ut, quid circa Res operetur, videamus.

II. Res Ictus considerat vel ratione qualitatatum, secundum quas jus redditur in civitate, vel ratione juris, quod circa res acquiritur.

III. Ratione Qualitatatum res sunt vel divini vel humani juris. Divini Juris sunt Sacra, religiosa & sancta. Humani juris sunt vel in patrimonio privatorum, vel extra illud; extra patrimonium sunt communes, publica, universitatis & nullius. In Patrimonio sunt, quæ sunt alicujus privati, eæque vel corporales, vel incorporales, & hæc iterum vel mobiles vel immobiles, utraque vel feudales, vel allodiales.

IV. Præmissis his assero Destinationem ex re profanâ facere sacram. PROSP. FARINAC. *Quest. 72. n. 74.* Destinationem autem hic intellige non Mentalem, sed Realem, quæ adjunctam habet consecrationem & dedicationem. Quando quidem res vota tantum aut animo destinata non est sacra, *L. 3. C. de furt.* ita ut si auferatur illa, non sacrilegium sit sed furtum, *d. l. 3.* In quâ Lege explicandâ & cum aliis, quæ de Destinatione agunt, conciliandâ multi sunt TABOR. *in Racem. Crim. ad Tit. C. de furt.* GODOFRE.

FREDUS PARENS. in Notis. FINCKELTHUSIUS' Disp. Feud. 3. contro-
vers. 10. lit. B. Sed sola, quam modò memoravi, distinctio omnem difficulta-
tem tollit.

V. Religiosus locus fit illatione mortui, §. 9. I. de R. D. Solà Desti-
natione de futuro non fit locus religiosus, L. 42. ff. de religiof. Imò licet il-
latio facta, non tamen locus totus sepulturæ destinatus, sed eatenus tantùm,
quatenus & quousqve corpus humatum est, fit religiosus, L. 2. §. sepul-
chrum. ff. de relig. & sumt. fun. BARNAB. BRISSONIUS Lib. 2. Select.
Antiquit. c. 15. ALTHUSIUS Lib. I. Dicaolog. c. 20. n. 19. Minus multo mo-
numentum purum, cenotaphium, inane sepulchrum, L. 42. ff. d. r. honora-
rius tumulus, SVETON. in Claud. cui nullum corpus fuit illatum, locis re-
ligiosis annumerari meretur, l. 7. de R. D. utut diversum statuerit MARCIA-
NUS 7 Ctus l. 6. fin. de relig. & sumt. funer. provocans ad auctoritatem
VIRGILII III. Æneid. v. 304. ibi:

Solennes tum forte dapes, & tristia dona,

Ante urbem in lucò falsi Simoentis ad undam

Libabat cineri Andromache, Manesq. vocabat

Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,

Et geminus, causam lacrymis, sacraer at aras.

Ut me conspexit venientem &c. (Hectorem vivum adhuc)

Hector ubi est? dixit &c.

Vivo equidem, vitamq. extrema per omnia ducò.

Sed, ut satis ex hoc loco Virgiliano patet, abusum Marcianum ipsius aucto-
ritate, ita ob id notam debuit jure meritòqve Digestorum Compileribus
in L. 7. ff. de rel. & sumt. fun. ibi: sed Divi Fratres contra rescripserunt.
Malè quidam ex Interpretibus objurgasse Divos Fratres, Marcianum, ajunt;
neqve enim potuerunt, cum ævo & ætate priores fuerint, FRANC. CON-
NANUS Lib. III. Comment. i. junctà L. 39. ff. d. r. quæ Marciani est, ibi: Di-
vi Fratres, &c. Quin potius exindè liqvet Rescripta Impp. non innotuisse
semper Jctis. Sunt qui manifestam antinomiam hîc extare clamitant in-
ter dictas Ll. sed malè; Facile enim patet alteram legem positam esse rela-
tive, alteram dispositivè; quæ ratio conciliandi leges in speciem pugnan-
tes, licet fordeat VULTEJO in Disc. Schol. c. 18. ANT. MATTHÆO Coll.
fundam. Jur. Disp. 5. JOH. JACOB. WISSENBACH. Disp. ad Inst. p. 171.
non tamen invitis Legibus nostris adhibetur, cum inibi usus ejus, maximè
in altercationibus Sabinianorum & Proculejanorum satis frequens sit; &

C

ma-

malim ego loca, quæ discordare videntur, ita componere, quam jus incertum adstruere. Illud obiter addo, ex loco Virgiliano modo alleg. illud dubium videri posse, cur *νεωτάτῳ* Hæctori constitutum, quem Priamus Pater autò ad hoste redemerat & sepulcrò funereqve honoraverat; cum tamen, prout credunt pleriqve, iis demum *νεωτάτῳ* Dion poni solita, qui vel in acie desiderati, vel naufragiò erant amissi, & sic feris facti præda. Sed docet DION. HALICARNASSENSIS Lib. 1. *Antiquit. Rom.* Illustribus & Principibus Viris post desertam mortalem stationem, etiamsi unò in locò essent sepulti, urbes tamen, imò gentes non unas *νεωτάτῳ* extruxisse. 11.

VI. Sicut verò Destinatio sine illatione mortui locum religiosum non facit, ita vicissim illatio religionem non inducit, nisi inferens simul mortuò perpetuam inibi sepulturam destinaverit, L. 39. & 40. ff. de relig. & sunt. *fam. ibi.* Si quis enim ad animam corpus intulerit, quod cogitaret in aliò postea transferre, magisq; temporis gratiâ deponere, quam quòd ibi sepeliret mortuum, & quasi æternâ sedem (Haloander, æternam sedem) dare destinaverit: manebit locus profanus. Id enim non est sepelire, sed deponere & commendare, L. 14. §. 4. ff. d. t. Sic in testamento Geruntii apud HIERONYMUM: *Simplici sepulchrò conditus, vel potius commendatus.* Et in Libellò quodam oblatò Severo Imp. eum subscriptione JUVENII CELSI *ſcribit.* Cum, inquit, ante hunc diem conjugem & filium amiserim, & pressus necessitate corpora illorum fictili sarcophago commendarim, &c. It. in L. 3. §. Non perpetua ff. de sepulch. ibi: *Non perpetua sepultura tradita corpora, a. c. commendata & deposita.*

VII. Res Sanctæ dicuntur, quæ sanctione quâdam certæ legis munite sunt contra violationem hominum. Cujusmodi species duæ, muri inquam & portæ civitatis, in §. 10. *Inst. de rer. divis.* proditæ sunt. Poteest autem ille, qui summum imperium habet in Republica pro lubitò, Destinatione & jussione suâ sancta, quæ talia voluerit loca, facere, arg. L. 9. §. 3. ff. de R. D. BESOLD. de junct. & *Divis. Rer.* c. 5. v. 11. & in *delib. jur. ad l. 1. ff. de Rer. Divis.* v. 35. Sed dum hanc sanctificandi facultatem illi tribuo qui summum imperium in Republica tenet, simul hoc moneo, tonitru ex pelvi esse quando Magistratus municipales, aut inferiores alii, quibuscunq; rixis in hoc vel istò locò contingentibus amputationem manus, aut gravius etiam supplicium indicunt.

VIII. Porro Destinatio ex re mobili facit immobilem. Et quidem de iis mobilibus, quæ immobilibus ita affiguntur, ut vel pars sint eorum, vel omni-

omnino non, vel non bona fide separari queant, dubium nullum est, quin ad
immobilia pertineant. SCHRADER. *de feud. p. 3. c. 2. n. 55.* KNIPSCHILD.
de fideicommiss. c. 5. n. 4. Sed & ea quæ perpetui usus causa in re immobili ha-
bentur & ad hoc deputata sunt, in censum rerum immobilium referenda,
BERTAZOL. *de Clausul. Instrum. claus. 19. gloss. 3. in fin. L. 13. §. fin. cum dua-
bus ll. seqq. de act. emt.* COLER. *Dec. 286. n. 165.* Sic rotæ molendini, lapi-
desque molares immobilia sunt. TIRAQVEL. *de Retr. gentil. §. 1. gloss.
7. n. 105. & seqq.* Item tormenta & machinæ bellicæ, si arcis tuendæ causa
comparantur & hâc fine eò ad usum perpetuum ponuntur; cum omni eò
aliò quæ armamentaria instructa faciunt, *arg. l. 13. §. fin. ff. de act. emt. ubi*
MORNACIUS, JACOBUS CUJACIUS *Comment. Feud. Lib. 2. Tit. 2.* PAUL.
CHRISTINÆUS *Vol. 1. Decis. 212. n. 10.* TIRAQVEL. *de Retr. gentil. §. 1.
gloss. 7. n. 96. & seqq.* MANTICA *de tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 14.
n. 34.* BECK. *Decis. 212. n. 25. & seqq.* AUGUST. BARBOSA *ad l. divorcio 9.
§. fin. n. 122. ff. solut. matrim.* VULTEJUS *l. 1. de feud. c. 5.* Hinc Amplissima
Facultas Juridica Lipsiensis ad Consultat. A. V. M. 31 D. respondit: Mens.
Febr. 1679. Wollen die in denen Zeughäusern und Festungen zu L. und B.
befindliche Stücke Munition, Gewehr, und alle andere Zugehörung
mit ins Erbe gezogen werden. Ob nun wohl vorgewendet werden möch-
te, daß auch diese Stücke wenn sie von den Lehns Herrn nicht ausdrück-
lich mit zu Lehn gegeben, als bewegliche, in welchen ohne dem ordentlicher
Weise kein Lehn bestellt wird, vor Erbe gehalten werden müssen. Den-
noch aber und Dieweil dieselben, als zu denen Bestungen und defension
des Landes gewidmet, vor unbeweglich, und davor, als wenn Sie zu-
gleich mit denenselben in Lehn gegeben worden, gehalten werden, so ge-
hören auch solche bey ereigneter Apertur dem Lehns Herrn billich, und ha-
ben die Land. Erben sich deren nicht anzumassen. Pariter Lecti in diver-
soriis publicis perpetui usus gratiâ existentes, & ideo comparati, ut ibi per-
petuo maneat, immobilium naturam induunt, M. BERLICH. *P. 3. concl.
39. n. 23.* S. FINCKELTHUS *Disp. 3. quest. 20. lit. C.* BESOLD. *Thesaur. Pract.
voc. liegende und unbeweglich Haab und Güter. P. HEIG. p. 2. quest. 15.
n. 15. & seqq.* Ubi testis est, secundum hanc sententiam non semel esse judi-
catum, *Consult. Saxon. lib. 3. quest. 114. n. 25. & seqq.* JOH. JACOB. SPEIDE-
LIUS *in Spec. Jurid. verb. Zählende Haab.* Dissentiunt CARPZOV. *part.
3. Const. 24. def. 10.* RICHT. *de success. ab intestat. Sect. 4. membr. 2. qv. 13.*
JOH. BALTHAS. *ad Jus Bavar. tit. 1. Res. 2. n. 4. in fin. sed rationem, quâ*

nituntur, scil. Destinationem Realem quæ res mobilis immobili jungitur, nisi affixione & annexione perfici, falsam esse supra adstruxi, hoc tamen facile largior, non ex eo solo destinationem hujusmodi lectorum præsumi, si aliæ quædam ad usum hospitum aut peregrinorum advenientium habiti fuerint. Porro pro immobilibus habentur ex Destinatione Piscees qui in stagnis, l. 42. §. 7. ff. de usufr. BOCERUS *class. 5. Dissert. 1. tb. 8. lit. A.* similiter oves & alie feræ, quæ propagationis causa habentur, d. l. 62. §. 1. animalia ferrea; Das eiserne Vieh. WEHNER. *in Obs. Pract. voc. eiserne Vieh.* Dolia vinaria ad perpetuum usum in cellâ depressa, l. 3. §. 1. ff. de Tritic. vin. & oleo legat. Molendina quoque aquis supernatantia immobilium numero sunt; HE-RING. *Tr. de molend. qv. 8. n. 27. & seqq.* FINCKELTHUS. *de feud. Disp. 3. qv. 20. in fin.* HAHN. *ad Wesemb. ad Tit. de rer. divis.* pariter Sterquilinum; agri stercoreandi causa comparatum, sub venditione agri continetur, l. 17. §. 2. ff. de act. emt. MANTICA *de tacit. & ambig. convent. l. 4. tit. 16. n. 4.* CARPZ. *p. 2. C. 33. d. 19.* Sed quod in fundo feudali reperitur feudale statim non est, adeoque non feudalibus sed allodialibus successoribus cedit.

IX. Res incorporales, si accuratè loqui velis, nec mobiles sunt, nec immobiles; sed tertiam & propriam quasi speciem constituunt; verum nihilominus quemadmodum aliàs necessitate ita urgente ad alterutram referri debent, vid. JACOB. SCHULTES *in addit. ad Modest. Pistor. p. 3. qvæst. 124. n. 6. & seqq. & lib. 1. obs. 3.* Ita & Destinatio facit ut modò mobilium, modò immobilium numero sint.

X. Ulterius rem allodiam Destinatione facit feudalem, dummodo ea, quæ supra cap. 1. n. 18. annotavi, fuerint observata.

XI. Consideratis itaque qualitatibus rerum, veniendum nunc est ad ipsum Jus quod circa res acquirimus. Jus illud vel in Re est, vel ad Rem. Jus in Re cum Dn. PRÆSIDE *in Dissert. de Jur. in Re action. reales producente*, unicum agnosco, Dominium scilicet. Sed late nunc disserere de Dominio hujus loci non est, saltem id notò, omne illud quod ratione Domini competit in re principali, id etiam competere in eo quod per Destinationem est accessorium. Quod ipsum quoque in apprehensione possessionis procedit: Nam si e. g. castri alicujus apprehensa fuerit possessio, simul quoque apprehensa eadem videtur ratione pertinentiarum, aut eorum quæ castro destinata sunt. L. 3. §. 7. ff. de acquir. vel amitt. poss. GAIL. *lib. 2. obs. 129. n. 6. & seqq. & Lib. 1. de pac. publ. cap. 9. n. 28.* KLOCK. *rom. 2. Conf. 8. n. 1. & tom. 3. Conf. 57. n. 20. & seqq.*

XII.

XII. Modi aeqvirendi sunt vel Naturales vel Civiles; Naturales sunt Occupatio, Accessio & Specificatio; Civiles sunt vel particulares, vel universales; Particulares sunt Usucapio, Donatio, Legatum & Fideicommissum particulare; Universales, Hæreditas, Bonorum possessio, Arrogatio & Adictio libertatuni conservandarum gratia. De singulis seorsim agendum est.

XIII. Occupasse tum demum dicimur, quando possessionem rei adprehendimus actu corporali: vidisse autem tantum, aut scire ubi quid sit, secumque statuere realem apprehensionem, non sufficit ad acquisitionem sive domini, sive possessionis. Sic pullos avium in nidò adhuc hærentes, licet eosdem tetigero, meos nondum feci, nisi aut domum asportavero, aut custodiam apposuero, ne evadere possint. Sic nec satis est ad acqvirendum dominium vulnerasse feram, cum accidere possit, ut eam non capias, §. 13. *Instit. de rer. divis. junct. l. 5. §. 1. ff. de acqvir. re. Domin.* Pariter si duo unà ambulent, & vel rem pro derelictò habitam, vel gemmam, aut quidvis aliud, quod hætenus nullius fuit, offendant, & alter quidem prius oculis notet, alter verò apprehendendò & sustollendò eundem antevertat, utique hic, non ille, dominus factus est per *L. 1. §. 1. ff. de acqvir. poss.* Patet exinde Destinationis circa occupationem ad hunc effectum, ut aut dominium acqviras, aut possessionem, effectum esse nullum *d. l. 1. §. 1. ff. d. r.*

XIV. Accessio vel propria est, vel impropria; Propria iterum vel naturalis, vel industrialis; Naturalis est, quæ naturâ vel solâ, vel potissimum operante contingit, & habet species quatuor: Fœturam animalium, alluvionem, insulæ nativitatem & alvei mutationem. Artificiales species sex sunt, textura, quæ & suffultura dicitur, ædificatio, plantatio, factio, pictura & scriptura.

XV. Circa Accessionem Naturalem Destinationis effectus notabiles vix deprehenduntur, nisi quod per alluvionem fundo ad alium destinato accedit, accessisse & ipsi principali videatur.

XVI. In Accessione Artificiali Destinatio plus operatur; sed ad singulas species singula exempla allegare nimis prolixum foret.

XVII. Circa Inædificationem tenendum, quod rignum ædibus extruendis aut reparandis junctum, atque ita Reali Destinatione dicatum, ædibus istis & simul domino earundem cedat, §. 29. *Instit. de rer. divis. l. 7. §. cum in suo. ff. de acqvir. rer. dominio.* Arborea verò saltem cæsæ & ad hoc ut jungerentur ædificio parata & sic destinata, nondum tamen realiter

junctæ, ædium non fiunt, *L. 17. §. 2. ff. de act. empt.* sed rutorum casorum nomine veniunt *L. 241. ff. de V. S.* nec fundi à quo separata sunt amplius esse censentur, ita, ut venditò istò actione empti peti non possint, nisi speciatim & rata casu vendita fuerint, *L. 66. §. fin. ff. de contrah. empt. L. 17. §. 6. ff. de act. empt.* & fundò emptori jam traditò, venditor ratione harum arborum jam ante casarum, ad exhibendum cum emtore agere potest, *d. l. 17. ff. de act. empt. & l. 5. §. 2. ff. ad exhibendum.* Ædificium in fundo feudali exstructum & ipsum feudale est, *GODOFR. ANTON. Diss. Feud. XII. th. 7. l. B. & C. STRUV. Exerc. Feud. XV. n. 17. j. LUDW. Synops. feud. c. 18. propè fin. vers. circa increment a. Constit. Saxon. Elect. D. AUG. 31. part. 3. Dec. Elect. nov. 53.* Ubi in specie de molendinis pnevmaticis in fundo feudali positis decisum, feudales illas esse. Sed rutorum casorum nomine non veniunt arbores, eà mente ac Destinatione emtæ, ut reponantur, adhuc enim fundi sunt, arg. *d. l. 18. §. 1. ff. de act. empt.* Quod si eà fini eruta sint, ut alio transplantentur, rutorum nomine veniunt, & fundi amplius non sunt, sed fiunt alterius fundi, cui sunt destinata. Sed & hujus respectu adhuc rutorum nomine veniunt, donec collocatae sint, nec sufficit eas in fundum ut collocarentur allatas esse, *L. 17. §. 5. & ult. l. 18. §. 1. ff. de act. empt.*

XVIII. Specificatio in ipsa novæ speciei formatione consistit, atque sic destinatio hic nihil præstat. Neque enim Mentalis operari quid potest ubi factò opus est; neque Realis hic est, cum ipsum factum in specificatione transeat. Nec sentiendum cum illis qui statuunt quod, si dominus materiæ destinaverit eandem ad opus, quò valdè indigeat, neque copia ei materiæ similis superfit, potius dominium novæ speciei cedere domino materiæ, quàm specificatori, atque sic Destinatio impedire acquisitionem dominii in specificatione debeat. Dudum enim altercatio veterum Jctorum Romanorum, Sabinorum & Proculejanorum, super controversiâ cui dominium adjudicandum sit, cum ex re alienâ species nova facta, decisione Imperatoria est sopita, §. *cum ex aliena. 25. Instit. de rer. divis.* ita, ut si species ad priorem & rudem materiam possit reduci, ea domino materiæ, sin minus, illi qui novam formam materiæ induxisset, cedere debeat, scilicet si fecerit suò nomine & bonâ fide, *l. 7. §. cum quis. ff. de acquir. rer. Domin.*

XIX. Circa modos acquirendi Civiles tam universales quam particulares, duo potissimum cum modis acquirendi naturalibus ferè communia,
 nia
fito
fue
nat
de
nit
fui
Na
i.
l.
m
IM
le
e
m
fe
fe
ru
l.
diff
bus
rea
ten
De
cur
int
B
SC
del
gna
exer
mit
quã
fals

pia, observanda: Quorum alterum est Destinatione animi solâ aut proposito illos non perfici, licet fieri coeperint, & imò ad actum proximum jam fuerit perventum. Alterum acquisita re principali, omnia ista quæ destinata eidem sunt simul acquiri.

XX. Quoad prius exemplo sit hereditas testamento alicui deferri destinata. Hac enim non acquiritur nisi ultimâ voluntate plenè & solenniter perfectâ, nec sufficit actum testandi inchoatum, aut maximam partem fuisse completum, sed omnes solennitates integrè oportet observatas. Nam vel unâ earum deficiente testamentum non jure factum dicitur, *L. 1. ff. de injust. rupt. & irrit. fact. testam. L. 4. ff. qui testam. fac. poss. l. 12. C. de Testam.* Licet Princeps sit heres institutus *§. ult. Instit. quibus mod. testam. infirm. l. 3. C. de testam. l. 23. ff. de legat. 3.* ANGELUS, IMOLA, PAULUS, ALEXANDER, JASON *in l. servi electione §. ff. de legat. 1.* Atque hinc eum foemina quædam facere testamentum, atque in eò Titium heredem instituere destinasset, & actum testandi non inchoasset modò, sed & propemodum affecisset, omnimodo tamen non absolvisset, sed morte præventa facere hoc fuisset præpedita, Domini Scabini Lipsiensis ex hac imperfectâ ultimâ voluntate nil quicquam peti posse responderunt, M. Januario Anno 1665, versus Dresd. an M. 2.

XXI. Aditio hereditatis hodiè sublata Cretionum solennitate, *l. 17. C. de jur. deliber. nudâ voluntate fit, §. 6. Instit. de hered. qualitat. & differ.* Sed voluntatem hic non pro solò animi consiliò, verùm signis quibusdam externis declaratam accipere debemus, *HARPR. ad §. 7. Instit. de hered. qualitat. & differ. num. 9. Colleg. Jur. Argentor. de acquir. & omittend. heredit. num. 12. CHRISTIN. Decis. Belgic. Vol. 4. Decis. 26. num. 2.* Declaratur verò voluntas vel verbis, vel factis, & verba quidem qualiacunque sufficiunt, modò ex his certum & constans propositum adeundi intelligatur. *MANTIC. de conject. ultim. volunt. lib. 12. tit. 11. num. 2. BARRY lib. 11. tit. 24. n. 1. & 2. MENOCH. lib. 4. pres. 100. num. 7. MASCARD. Conclus. 41. num. 10.* Utrum verò tunc adita censatur, si is cui delata est hereditas dixerit, Volo adire hereditatem, non levis inter Dd. pugna; Sunt qui aditam putant, *FACHIN. lib. 6. controvers. cap. 50. LUDW. exercit. justin. 8. th. 9. lit. G. MARANTA ad l. 15. potest. de acquir. & omittend. heredit. num. 44.* Sunt alii qui negant. Distingvendum videtur quâ mente & intentione verba ista fuerint prolata, an nimirum expriment saltem consilium & Destinationem de adeundò, atque sic de actu futurò

loquantur? An verò negotium præsens, & quod coram agitur, contineant? Priori casu aditio non arguitur. Posteriori verò omninò. Sed quò sensu verba hæc dicta sint ex circumstantiis sumendum est, puta si dixerit quis volo hoc ipsò, aut nunc, adire hereditatem, *ich will nunmehr / oder Krafft dieses die Erbschafft antreten*; aut si interrogatus heres testamentarius vel à Magistratu, vel heredibus proximioribus ab intestatò, venientibus delibèrato respondeat, velle se adire hereditatem, *MANTICA de tacit. & ambig. convention. tit. 11. lib. 12. n. 1. MENOCH. de presunt. 100. num. 10. BARRY l. 4. tit. 11. n. 2. MASCARD. Concl. 41. n. 9.*

XXII. Quod dictum est supra numerò XIX. acquisitâ re principali, acquiri simul omnia ea, quæ per Destinationem eidem accesserunt, & ratio ipsa facile evincit, & per species singulas ostendi posset, si & institutum & temporis angustia, quæ includor, hoc pateretur.

XXIII. Sufficiant ergò hæc vice, quæ dicta sunt, de jure in re. Jus ad rem mihi Obligatio est. Venit illa vel ex conventionem, vel ex pollicitatione, vel ex delictò, vel denique ex Lege immediate. Conventio species habet duas, Pactum & Contractum, de utroque in genere tenendum, semper in his regulariter destinata contineri, licet disertè expressâ aut nominata haud fuerint, *MEVIUS P. 2. Decis. 196. Evidens hujus asserti usus vix frequentior est quam in emtione venditione. Hæc enim naturaliter omnia quæ destinata sunt complectitur, l. 17. §. 2. ff. de act. emt. l. 242. ff. de V. S. l. 69. ff. de contrab. emt. CARPZ. part. 2. Const. 33. Def. 20. n. 6. MANTICA lib. 4. de tacit. & ambig. convent. tit. 15. n. 11. SURDUS decis. 134. num. 3. Sic ædibus venditis debentur seræ, claves, claustra, l. 17. in pr. ff. de act. emt. Vineâ venditâ & pali veniisse intelliguntur, d. l. 17.*

XXIV. Similiter in locatione fundi, simul locata & Instrumenta ejus accessoria censentur, *l. 19. §. 2. ff. locat. conduct.*

XXV. Parili ratione pignore constituto in certâ re, jus pignoris & ad destinata extenditur, ita, ut si hæc ex post factò accedant pignoris jus ad ea porrigatur atque ita augeatur, *l. 16. ff. de pign. & hypoth. ubi BARTOLUS, BALDUS & RIP A. MOZZIUS in tr. de contr. tit. de pign. rubr. de natural.*

XXVI. Sed perpetuò hic Destinatio Realis supponenda; Nam Mentalis sola non sufficit, v. g. Pecunia mutuo destinata mutuum nondum est, & ergo, si super nominibus conventum fuerit, pecunia ista non comprehenditur. Prout vicissim, si pecunia verè mutuo data fuerit & de pecu-

pecuniâ paratâ agatur, non hoc porrigitur ad nomen ex mutuo contractum; sicut etiam legatâ pecuniâ paratâ, baar Geld oder Baarschafft non videntur legata nomina debitorum, CARPZ. P. 3. Const. 13. Def. 34. RICHT. Decis. 27. num. 22. FINCKELTHUS. Obs. 20. BESOLDUS in Thes. Pract. verbô: baar Geld.

XXVII. Pollicitatio est spontaneum offerentis promissum, vid. GROTI. de jur. B. & B. lib. 2. c. 11. Speciesque habet duas: Votum & Pollicitationem in specie sic dictam. Votum, quo DEO, vel piæ causæ aliquid promittitur aut destinatur. Pollicitatio in specie sic dicta est, quæ fit Reipubl. aut etiam Civitati municipali, l. 3. §. 1. l. 8. §. 14. ff. de pollicitat. in utraqve sola animi destinatio est sufficiens, sed sub hoc tamen discrimine, quod illa nec verba exigat, scilicet cum DEUS scrutator sit cordium, hæc autem declarationem ore factam omninò præsupponat. DN. ZIEGLER. ad Lancellot. lib. 1. tit. 30. pag. 284.

XXVIII. Destinationis Effectus quoad obligationem ex delictò venientem, exserit se circa conatum delicti, de quò tamen ex professò agere non est hujus loci.

XXIX. Circa obligationem quam lex inducit, & quæ ex variis causarum figuris nascitur, Destinationis nulla operatio.

CAPUT IV.

De Eo quod Justum est in Destinatione circa jus Actionum.

§. I.

Restat, ut de effectibus Destinationis qui circa jus Actionum sunt agam, quem tractatum ad tria summa capita reducere libet, scilicet. Fori competentiam, Genus Actionis & denique Processum.

II. Quod ad Fori Competentiam attinet, notum est sortiri aliquem forum regulariter quatuor ex causis, Domiciliò, Contractù, Delictò & Situatione rei.

III. Constituitur Domicilium non habitatione solâ, sed cum quâ concurrat animus & destinatio perpetuò commorandi, nisi quid avocet l. 7. C. de Incol. FRANTZKIUS ad ff. tit. de judiciis n. 29. CARPZ. lib. 2. Resp. 21. num. 15. GAIL. lib. 21. Obs. 35. n. 7. Destinatio ista probatur per declarationem animi, vel expressè, vel tacitè factam, l. 20. 27. §. 1. ff. ad munic.

D

FRANTZK.

FRANTZKE *lib. 1. Resol. 16. n. 15.* Declaratio Expressa est, si quis expressè verbis vel literis profiteatur, se in locum aliquem venisse intentione eam habitatum, ut ibi perpetuò esset, operaturque hujusmodi declaratio hoc, ut quam primùm actualis habitatio accedit, statim eò ipso momentò contractum domicilium videatur, CARPZ. *lib. 2. Resp. 29. num. 15.* & si summa rerum eò nondum translata fuerit, MEVIUS ad *ius Lubec. lib. 1. tit. 2. num. 28.* Sanè sola contestatio de figendò alicubi domiciliò, nisi realis habitatio accedat, non sufficit, *l. 20. ff. ad Municip.* BODINUS de *Republ. lib. 1. c. 6. §. in Meth. hist. cap. 5.* STEPH. de *jurisd. lib. 1. c. 28. num. 70.* CARPZ. *lib. 2. Resp. 21. num. 17.* MEVIUS ad *J. L. p. 1. Tit. 2. n. 27. §. seqq.*

IV. Tacitè declaratur voluntas, si aliquis ibi ubi habitat jus civitatis impetret, HAHN. ad *Wes. tit. de judic. n. 16.* MASCARD. de *prob. Vol. 1. concl. 434. num. 3.* item, si quis venditis quæ alibi possidebat bonis, cum uxore & familiâ in aliquem locum migrat, ibidem subsistat, plenariam rei domesticæ administrationem instituat & ea faciat quæ ejus loci incolæ facere solent, arg. *l. 27. §. 1. ff. ad municip. l. 2. C. ubi Senator. vel Clariff.* ZANGER. *tr. de except. p. 2. cap. 1. num. 7.* Pariter, si quis pristino domiciliò renunciet & majorem partem bonorum aliò transferat, ibique assidue versetur, præsumitur domicilium contraxisse *l. 2. C. ubi Senator. vel Clariff.* ALTHUS. *Dicaolog. l. 3. c. 1. num. 18.* GAIL. *l. 2. Obs. 36. num. 2.*

V. Ratione Contractus sortitur quis forum ibi quo solutio destinata, *l. 19. in pr. §. 1. ff. de judic. l. 3. de rebus autor. judic. possid. l. 21. de Obl. & Act. non ubi res gesta, l. 8. C. de rescin. vend. vel instrumentum confectum, l. 7. l. 39. de O. & A. nisi solutioni locus nullus alius dictus, l. 9. §. 2. l. 45. ff. de judic.* nam eò ipso tacitè idem locus in quo contractum est, destinatus quoque solutioni censeri debet, *l. 19. §. proinde. ff. de judic.* Si per nuncium aut epistolam contractus celebratur, v. g. si is, qui Lipsiæ est, vendat fundum existenti Dresdæ, contractus, non Lipsiæ, sed Dresdæ celebratus censeri debet, atque adeò ibi quoque forum esse competens, in quo ex hoc contractu agi possit. BALDUS in *l. multum inter est. C. si quis alteri vel sibi. 28.* FELIN. in *c. 1. vers. sed advert. de sponsal. num. 23.*

VI. Quod si solutio destinetur in multa loca, disting vendum est, an coplative & alternative loca ista fuerint juncta. Si alternative, veluti aut Lipsiæ aut Hamburgi, non solvente reò statutò tempore actori danda est electio, & eo in loco in quo ipse maluerit, reus sortitur forum, *l. 3. in pr. ff. de eo quod cert. lac. SOCIN. in cap. dilecti. num. 38. de foro competent. RI-*

PA in cap. 1. num. 69. de judic. Sin copulativè, Hamburgi & Lipsiæ solvam, videtur diversa summa debita ita, ut pars Lipsiæ pars Hamburgi exigenda, d. l. 3. §. si quis ita. ff. de eo quod cert. loc. & ibi Dd. THOM. CARLEVAL. tr. de judic. tit. 1. Disp. 2. qv. 4. n. 255. & seqq. Tenendum tamen assertum hoc procedere saltem, si res dividua sit in obligatione, nam si individua fuerit, copulativa pro disjunctivâ accipienda, ne contractus vitietur, p. l. s. p. 53. ff. de V. S.

VII. Quod si Destinatio loci indeterminata sit, v. g. si promiserit debitor solviturum se ubicunqve fuerit inventus, ubiqve convenire ipsum licet in solidum, BARTOLUS, JASON & alii in L. 3. §. Si quis ita. ff. de eo quod cert. loc.

VIII. Ratione Delicti fundatur forum ibi, ubi delictum admissum est, l. 1. & aub. qvæ in Provincia. C. ubi de crimin. Imò ubi delinqvere quis destinavit crimine inchoatò, d. l. 1. ibi: inchoata. C. d. t. Veluti si in unò territorio inchoavit quis homicidium explodendò bombardam, in alterò hoc ipsò hominem interemerit, & sic crimen consummaverit.

IX. Ratione Rei Sitæ sortitur quis forum, ut possit conveniri coram Judice illius loci in quò res sita est, etiamsi aliàs eidem subjectus non sit, l. sed & si suscepit. 52. §. ult. ff. de judic. l. ult. C. ubi in rem act. ubi Dd. Atqve hoc procedit non solum in rebus immobilibus, sed etiam mobilibus, vel se moventibus, AZO in l. ult. C. ubi in rem act. ibidem q. CINUS & SALICETUS. HOSTIENS. in Summa eod. tit. n. 5. BOERIUS Decis. 218. n. 3. & 5. ANCHAR. cons. 140. vers. primum dubium n. 7. Sed hic distingvendum est omninò inter mobilia in se considerata, & ea quæ rebus immobilibus addita eâ Destinatione ut perpetuò ibi sint; propter illa ex solâ naturali situatione competentia nascitur, quocunqve in loco reperiantur; Ob hæc non æqvè, sed prout hujusmodi res adhærent immobilibus, ita & eadem seqvuntur & illic locorum esse, ubi prædia existunt, putantur. Ita oves & animalia ad agrum stercoreandum relicta, pro parte agri habentur, & ancilla quæ in fundo esse constitit, etiam fugiens, ibi esse creditur, l. si. §. no. ff. de Legat. 1. jung. l. 86. d. Legat. 3. Pater ex his, Destinationem quoad competentiam fori ex situatione rei hoc operari, ut res, quæ e. g. Lipsiæ est, naturaliter, possit cum prædiò, quod Dresdæ situm est, ibidem vindicari, dummodò à tertio seorsim non possideatur. dd. ll.

X. Quod ad Genus Actionis propter res destinatas competens attinet, in genere tenendum, competere his actiones easdem, quæ propter rem prin-

cipalem competere possunt, sive actione reali, sive personali, sive iudicio petitorio, sive possessorio experiâre, GALL. l. 2. O. 63. vid. supra c. 1. n. 21. ubi de formâ probandi. In specie ex causâ ad certum locum destinatae solutionis prodita est actio de eò quod certo loco dari oportet, quæ est actio Prætoriana utilis, non directa, l. 1. in fin. ff. de eo quod cert. loc. adjectitia, BACHOVIVS ad Treutl. vol. 1. Disput. 23. th. 3. lit. B. BARTOLIUS ad L. 7. ff. d. tit. SALICETUS ad l. un. C. cod. arbitraria l. 2. in pr. l. 4. S. 1. l. 7. in pr. ff. cod. S. 33. Instit. de action. quæ datur ei, cui certò in locò dari aliquid promissum, adversus illum qui ita promissit, nec tamen illud præstitit, etiam citra illius culpam l. 1. ff. d. tit. FRANZKIUS in comment. ibidem n. 14. illo in loco in quo reus aliàs forum sortitur, arg. l. 19. in pr. ff. de rebus credit. BACHOV. Vol. 1. Disput. 23. th. 3. lit. G. & in Tract. de action. Disput. 7. p. 2. th. 4. PEREZ. in Cod. d. tit. n. 1. factâ commemoratione loci conventi, ita ut iudex æstimet quanti actoris vel rei interfit, suo loco potius, quàm in eo quo petitur, solvi, l. 3. ff. d. tit.

XI. Ratione Processus Destinatio respectu rei destinatae facit causæ continentiam, quando circa principalem lis est, MINDANUS lib. 3. cap. 20. n. 1. & seqq. Colleg. Argent. ad tit. de quibus rebus ad eund. jud. eatur th. 30.

SUPERPONDIA.

I.

STATUS Imperii nostri Romano-Germanici non Aristocraticus, sed Monarchicus est.

II. Inquilino, si ob justam suspicionem pestis abeat, etiam pro uno mense facienda remissio mercedis.


III. Suus heres potest usufructu pro herede.

IV. Non sequitur, datur jus possessionis, ergo possessio est jus.


V. In constituto possessorio non ficta est, sed vera possessionis translatio in eum, cui constituitur.


VI. Duo simul eandem rem in solidum possidere non possunt,





die eius
re ad di
git mu
nplum
morari
amen
z
en 100
100







I. N.

Disputationem
conscripturus, di
ex infinitis Juri
Tandem CON
BELLARIUS placuit.
Juris Doctores satis plene
ab aliis vero cum Emphy
me. Ut igitur propria &
innotescat, sequentem su

DEUS annu

Pos.

Contractus libellarius (C)
nominatus (C) co
fidei (E) quo script
alicui in perpetuum
pensione in singul
ea plerumque lege
condicto que temp
tio renovetur contr



guralem
i, quamnam
s feligerem.
TUS LI
m, plurimos
n scrip fisse,
fundi maxi
s ejus natura
ationem.

contractus (B)
(D) bonæ
veniente res
sub modicâ
constituta,
tur, ut stato
merato pre

Ita

